

Bibliothèque numérique

medic@

**Guillotin, Joseph-Ignace - candidat /
Barbeu du Bourg, Jacques - président
/ Lorry, Anne-Charles. - An carbonum
vapor in clausis Cameris sedulò
vitandus ?**

1769.

***Paris : Typis Quillau, Universit.
& Facultatis Med. Typograph.
Cote : ms 2336 n°54***



DEO OPTIMO MAXIMO,
UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,*

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis nonâ
mensis Februarii, anno Domini M. DCC. LXIX.

M. JACOBO BARBEU DU BOURG,
Regiæ Scientiarum Academiæ Stokolmiensis & Societatis Regiæ
Monspelienſis Socio, necnon Chirurgiæ Gallico idiomate Profes-
ſore designato, Doctore Medico, Præside.

An carbonum vapor in clausis Cameris sedulò vitandus?

I.



MORTALES miseros sibi perpetuò timere cogunt, quæ
sæpe nec opinantes oppressere pericula: per ignes cineri do-
loſo ſuppoſitos incedimus incauti, & ex ipsis vivendi cauſis
exoritur mortalitas. Illis autem quæ ob oculos poſita certam
perniciem intentant, ſatis eſt ſedulitas humana declinandi,
latentia verò neque ita obvia ſolius eſt Hygiene detegere
& præcavere. Dura sævit hyems, torpido gelu rigent artus, focum accendi

* Auctore M. Annâ-Carolo Lorry, anno 1747.

A

(a) Eutrop.
Hist. Rom.
L. 10. Cap.
18.

(b) Valer.
Maxim. Lib.
9. cap. 12.

jubet ipsa necessitas; at nisi consulatur Hygiene, quanta inde clades im-
pendet? Sic dum, præcluso aeris aditu, focum largè carbonibus instruunt,
quam multos quotannis absumptos dolemus! Sic Jovianum Imperatorem
olim periisse testantur historiae (a); sic Q. Catulum à Mario mori iussunt
(b), sic multos alios morte improvise abreptos, edocent observatores in-
numeri. Verum non omnes æquali impetu mors opprimit; pro numero cau-
sarum concurrentium, aut pro majori minori-vè eorum debilitate quo-
rum res agitur, ocyus serius-vè advenit. In primo mali limine dira ve-
xat circum præcordia anxietas, & pulmonum angustia; brevis & frequens
anhelitus sibi novum ut in altis observatum montibus, perpetuò reposcit aer-
is vectigal. Tum capitis stupor insolitus, & ad sensum motumque hebetu-
do apoplexiæ prænuncia: id commune malum. Aliàs variè larvantur symp-
tomata; nausea multos, multos vomitus afficit, multi dirâ tentantur verti-
gine, multi spasmo tetanode, aut variis artuum jactantur convulsionibus:
sic malum signis ambiguis obrepit, donec veris se prodatur, ubi jam evasit
immedicabile; nox & somnus ansam proditori præbent, unde diros inter
cruciatu miser evigilant, mox aeterno somno sopiendi. Verum quamvis
sopor ille *leti consanguineus* verè dici mereatur, lento tamen passu ad
mortem graditur, sæpe pro mortuis depositi fuerant, quos efficax Me-
dicina ab orco veluti revocavit: vix tamen omnium inde pullulan-
tium malorum radix præscinditur: sæpe remansit ad carbonis præsentiam
recrudescens cephalæa, sæpe etiam asthma per totam vitam perseverans.

Quod si requiras unde tanta possit arcessi calamitas, triplex aderit mali
fons in quem possis noxam refundere; vel enim nimius calor gradus pec-
cat, vel aeris effecti perit efficacitas, vel demum perniciem inferunt letalia
materiæ quæ fomitem igni suppeditat effluvia: si verò facto agmine causæ
illæ concurrant, quàm certa minatur clades, quàm celeribus alis mors
advolat!

II.

EX triplici hoc fonte pessimam derivari posse malorum scaturiginem, &
ratio suadet, & experientia demonstrat.

Primò letalis occurrit intensior in aere calor gradus, si suum de-
bet pulmoni refrigerium, si ad centesimum caloris gradum humores acti se-
cundum leges Boerhaavianas coagulentur; quin etiam si expansus calore
aer abnuat amplius intra humores includi, jamque ad vasculorum aditus
sibi denegatos, sub bullæ specie hæreat, viamque humoribus intercludens,
miseram spasmodum arcessat familiam (a): hos enim esse non permixti li-
quoribus intra animalium vasa circulantibus aeris effectus, docuit injectus
in venas viventis animalis aer. Sic solo æstu nimio inclusos olim in balneis
cives Romanos à Campanis interfectos autor est Livius (b).

Secundò renovandi aeris defectus idè certiùs & vehementiùs nocere de-
prehenditur, quod semper reparari, mutari semper aerem æquè postulet
animalium respiratio, atque ignis corpus aliquod depascens actio; & utrius-
que sit idem effectus, aeris scilicet elaterem destruere.

Hunc ab igne effectum arguere facile est; quamvis enim majorem mi-
noreve aeris quantitatem sibi reposcant quæ cremantur corpora, pro

V. Boerhaav.
Chem. Tom.
II. p. 117. v.
& Hardeti
aparium
Schol. in obs.
25. pag. 114.
(b) Decad.
II. Lib. 23.

eâ quam inter deflagrandum emittunt ejusdem copîâ; si tamen novæ deficiant aeris suppetiæ, brevi fatiscet ignis, ut in recipiente clauso videmus flammam citò elanguescere, subitòque nigrescere carbones. Id verò à solo aeris vitio esse repetendum inde comprobatur, quod in compresso condensatoque aere, pro ratione compressionis, vigeat flamma diutius, in rariore verò ac fermè exantlato in ratione raritatis ipsius citius fatiscat. Idem incendiorum docet historia, dum inclusi citò suffocantur ignes; patefactâ vero aeri viâ, tum vi totius atmospheræ irruit, & flamma emicat acerrima. Illud verò aeris vitium à destructo partium ejus elatere, esse repetendum vel simplicissima probant experimenta, quæ missa facimus præter unum; En depressum monstrat in tubo Toricelliano Mercurium Halesius, remque ad mensuram revocando candelæ flammam antequam extinguatur $\frac{1}{4}$ elateris in aere destruere comprobat. At idem de Animalibus demonstrare non difficilius est; brevi pariter in Recipiente clauso pereunt, vitæque usibus ineptum experiuntur aerem, quem in suos usus aliud Animal jam traxerit. (a) Sic Musaraneus ante tria minuta moriebatur in aere quem consumpserat Musaraneus alter. Nec latuerat sagacissimum Boyleum quantum inde aeris elater infringeretur, in experimento enim bis repetito depressum sese observasse refert Tubum Toricellianum, nullâ tamen aeris inde exeunte particulâ, adeoque solo pereunte aeris elatere: sed rem ad accuratiorem mensuram primus revocavit Mayowius (b) dum $\frac{1}{4}$ elateris aeris à mure destrui comprobavit; quæ omnia accuratius novissimè expendit vir ad amplificanda scientiæ naturalis pomaria natus Halesius, qui & Mayowii calculum comprobavit, & novis illustravit experimentis, inter quæ palmarium est illud: vesicam ex quâ solâ & inquam alternis aspirabat & expirabat, semi-minuti intervallo aere ita exhauriri, ut nec ipsa nec pulmo potuerint nisi ægrè expandi. Maximo argumento quantâ aeris penuriâ laborent, in carceribus, Nosocomiis aliisque id genus locis qui degunt, quantaque foret machinæ utilitas nuper ab eodem excogitata, cui nomen *Ventilatoris* indidit. Ex quibus omnibus colligere facile est; tum Animalium respirationem, tum ignis actionem in aeris exinanitionem æquè conspirare.

Tertiò demum malignis gravidum effluviis aerem & atroces morbos, & præsentissimam mortem asferre posse, tragica docet Morborum Epidemicorum historia; sæpe enim ab ipso aere letifera miasmata quaquaversus diffunduntur; hinc grassari aliquando visa ab insensatis cadaveribus pestis; (c) & quæ totam olim miserè devastavit Galliam, imò Europam, in regione *Cathay* à tetrâ Mephiti sumpserat, ut creditum fuit, exordium. Sic australibus olim malignis afflatam ventis patriam Agrigentum, obturato per montium fauces aditu, servasse fertur Empedocles. Quin & dum comburebatur domus in quâ variolis æger decubuerat, raptus per ventum fumus partem urbis vicinæ vento oppositam replevit variolis (d), si tamen fas est credere.

Verùm miasmata illa per se non solum animalibus perniciem inferunt; sed etiam quatenus aerem elatere suo defraudant: hâc duplici causâ fodinarum plerique vapores homines interimunt, & faces restingunt accensas (e). Talis est halitus antrorum quorundam, ut celebris illius ad Neapolim cui nomen *Grotta del Canè*: ibi collocatus canis propius ter-

(a) Boyle
Phyl. mech.
experim. art.
IV. exp. XIV.
& art. V. exp.
XI. Tom. II.

(b) De spir.
itu nitr. Aeri
coq. p. 104.

(c) Paræus
Lib. 2. Cap.
XV.

(d) Mead
de peste pag.
12.

(e) Bernard
Connor de
antris Lethi-
feris pag. 180.
v. & R. Mead
de Venenis.
p. 135. Tr. 5.

4

ræ admotus mox abortâ respirationis anxietate brevi suffocatur, pariterque flamma accensæ facis exstinguitur, cum eadem in machinâ Boyleanâ multò diutius perslare deprehendatur.

III.

SI focum itaque carbonibus in clauso conclavi instruas, nec sit vaporis effugium, tres causæ jam memoratæ mortem æqualiter intentabunt: præter modum calor increfcit, reparari nescit aer ex deperdito elatere victus; fumis demum, quos accensi carbonēs exhalant, idem inquinatur; quod ultimum superest nobis demonstrandum.

Quamvis enim nullum ab accenso carbone fumum effundi sibi facile vulgus persuaserit, quod ille nec sensus manifestè lædat, nec ipsis oculis videatur obversari, quàm tamen subtilis, quàm copiosus exiliat vapor oculis dabitur deprehendere, si candentes adverso sole carbonēs aspexeris. Sed quis adeò crassâ philosophus est minervâ, ut nulli nisi oculorum testimonio fidat, ubi effectus adeò sunt in propatulo: etenim in aperto etiam aere, delicatiores reperias, qui fumum carbonum sine præsentī incommodo, capitisque stupore, ferre nequeant: nec aliud incusari potest in Hauksbeyanis experimentis, (a) in quibus solo carbonum vapore inquinatus aer, nec nimio fervens calore, tam citò perimebat Animalia, ut intrâ quartam minuti partem pro mortuis conciderent, quæ potuerant per integri minuti spatium hære in vapore metallico.

(a) Hauks-
bey. Suppl.
exper. Physic.
exp. XI. &
seqq. pag.
285. & 286.

Novum ergo carboni accenso etiam sine calore intensiori nocendi principium inesse, hinc elucescit: letalia scilicet præter miasmata quæ animalium corporibus infert, elaterem etiam aeri subripit. Enimverò tametsi quilibet ignis idem præstet, addendum jam memoratis videtur esse aliquid carbonum vaporī peculiare unde maiorem aeris copiam absorbeat. Porro hanc *absorptionem*, venia sit verbo, luculenter demonstrat modo allatum Hauksbeii experimentum, imò & ex Boyleanis & Stairianis experimentis jampridem deducenda erat: cum enim inflammata alia corpora vigere adhuc aliquandiū sub Recipiente videantur, subito carbonēs intereunt, nec mediocrem tentandis circa eorum naturam experimentis afferunt difficultatem. Et certè si subtilissimi illius fumi naturam, faciem præferente chymiâ perpenderimus, III. Halesii experimentis de *absorptione* productioneque aeris confisi, elucescet prorsus unde tantum aeris absorbent carbonis vapores, adeoque tantum residuæ portionis elaterem infringant: pars enim illa carbonis tenuissima in clauso vasorum apparatu effugere nescia, quæ igne aperto facile avolat, constat præcipuè Sulphure illo tenui inflammabili, quod quoniam in flammam exardet ignisque fit pabulum, ut à Clar. Boerhaave demonstratur, rectè τὸ φλογιστὴ nomine designatur. Ab hoc porro subtilissimo corpore pendere in carbone consistentiam, colorem, *inflammabilitatem*, ceterasque proprietates quas à Sulphure corpora mutuari contendunt auctores, patet inde quod illo abeunte nec jam in carbone color, nec consistentia, nec perstet *inflammabilitas*. Id de omni Vegetante & Animali pariter verum est; comburantur enim in carbonem antequam in cineres redigantur; quin & inde easdem sortiri proprietates corpora metallica probat calcium metallicarum in pristinum fulgorem

reductio, quæ carbonis pulvere perficitur, à cineribus verò perfici nequâquam potest.

Porro Sulphuris illius hæc est etiam ab Halesio observata proprietas, ut dum ab igne absorbetur, ipse aerem absorbeat; (a) id omne experimentorum genus ita demonstrat, ut inde constet, eò plus aeris absorberi à quovis corpore, quò plus Sulphuris illius in suâ compage admittit; hinc mira tum Sulphuris mineralis, tum oleorum à Vegetantibus puriorum proprietas, aeris nempe elaterem destruendi, nisi tamen absorptum suppleat aerem emissus è corpore, dum deflagratur, aer. Verùm experimenta jam allata, si satis esse non videantur, cumulabit illorum contemplatio, in quibus Halesio observante insignior fit aeris absorptio: (b) numquam enim plus aeris absorberi deprehendit ille, quam si sulphuris ferrique partes æquales simul in massam coegeris, posteaque reliqueris fermentandam; aut si solutionem ferri cum spiritu nitri instituas: etenim si non ipsa doceret per Chymiam explorata horum corporum natura quantum phlogistici contineant atque emittere in hoc casu debeant, indubitanter res evinceretur ex flammâ quam sponte concipiunt illius massæ vapores, ex vehementi æstu quem pariter concipit vapor solutionis martis in spiritu nitri. Idem de omnibus vaporibus sponte inflammabilibus, sine erroris metu potest asseri. Fulmen etiam quantum aeris absorbeat, docent collapsæ ab hujus ictu interemptorum pulmonæ vesiculæ. Rectè igitur ab experimentis hoc effatum conficitur. *Quò corpus aliquod minus aeris continet, plus verò phlogistici, eò etiam plus aeris inter deflagrandum absorbet.* Verùm id sedulò notandum est, quod deflagrationis tantummodò tempore erumpat è corporibus aer, vapores verò phlogistici pergant etiam post exstinctum ignem aeris vitium inurere; hinc cameris phlogisto illo inquinatis male creditur, nisi summâ cautione adhibita illas ingrediare.

His positis, unde tantum aeris absorbeat carbo mirari desinemus; licet enim ligna è quibus conficitur aerem pro ratione densitatis continuerint, illum jam antequam in carbonem fuerint combusta emiserunt, ut ligni Guaiacini destillatio jampridem Chymicos edocuit, solumque superest phlogiston, quod nunc continuati ignis efficacîâ avolat.

Ab hac porro carbonis in aerem actione, diram symptomatum catervam deducas. Pereunte aeris elatere, perit ejus in pulmones actio, tollitur aeris internas partes occupantis cum externo æquilibrium: ab hoc duplici malo quot secundariæ labe exurgunt! Pulmoneis vesiculis ab aere non explicatis, brevi sanguini per pulmones via intercluditur; hæret ille in truncis, hinc palpitatio, anxietas, interceptoque ejus à capite reditu, sopor inducitur apoplecticus. Nihil ergò mirum si post mortem apertis pulmonibus, appareant ubique maculæ gangrenicæ (c). Aliâ ex parte pereunte aeris interni cum externo æquilibratâ, necessariò inflatur universus corporis habitus; sublatâ enim atmospheræ compressione, prouunt ad cutem humores: sed præcipuè aere expanso turgescere debent intestina, hinc & dilatato vasorum huc confluentium orificio, humores quâ data porta, prorumpere; indidemque vomitus illi biliosorum, imò sanguineorum humorum; ab intestinis verò ita distractis, vasorum quæ tunicas eorum perreptant, summam fieri pressionem, & inde inflammationes brevi gangrenicas excitari. An etiam viam sibi per ignotos calles inveniat aer, in

(a) Id ex toto
Cap. VI. Stat-
ices vegetan-
tium deduce-
re est.

(b) Statique
des Vegetaux
exper. 93. 94.
95. Pag. 189.
190. 191.

(c) Hist. de
l'Académie
1710.

(d) Hist. de
l'Académie,
1710.

adiposi musculares fibras cingentis texti loculamenta dubium non videtur, cum reperiantur in cadaveribus hoc fumo interemptis muscoli extremorum quasi à se invicem, & à partibus divulsi (d). Nec dissimile prorsus malum illud quod sublato pariter aeris interni æquipondio, in summis Peruvianis montibus Jano Acoftæ accidit, dum sese expandens in internis corporis partibus contentus aer, cum aere externo æquilibrium affectabat.

I V.

(a) Hist.
Med. Mira-
bilis. Lib. 2.
Cap. 6. pag.
171. v. &c.
quos allegat
auctores, &c.

(b) Cassi
latro Sophi-
stæ probl.
XII.

(c) Hist. de
l'Académie,
1710.

(d) Olaus
Borrichius de
sonno &
somnia.
pag. 16.

VERUM inter hujusce subtilissimi è carbonibus accensis afflati mialis effectus, multi observantur quibus explicandis mechanices leges impares videntur; hos sola docet observatio. Nervos scilicet stupor occupat, undè sensus omnis motusque deficit; nunquam enim letalius opprimit carbonum vapor, quàm ubi primo impetu somnos inducit apoplecticos, & ipsam corporis arcem invadit. Quantos verò tumultus in vitæ animalis fontes inferre possint subtilissima corporum effluvia, docent hysterica mulieres, dum levissimi odoris actio spasmos horrendos invexit, qui continuò antispasmodicorum actione sedantur, undè brevè enormes illi musculorum motus compefcuntur. Hujusmodi pariter actionem quâ tota mentis regia conturbatur, esse carbonis fumo tribuendam demonstrant effectus. Id enim quamvis negare voluerint illustrissimi Medici Schneiderus & Chr. à Vegâ qui volunt per solum consensum ab hoc fumo cerebrum affici, facultate, ut loquuntur, vitali animale in consensum trahente, ipsam tamen ab hoc fumo primariò & per se (ut Scholarum est sermo) sæpiùs induci apoplexiam demonstrat Marcellus Donatus (a) & observationum numero & observatorum autoritate.

In exemplis quæ sibi visa modò laudatus Autor allegat; præibat capitis stupor, tum respiratio sensim lædebat, donec omnino fatisceret; sed remanebat adhuc pulsus cordis, ut in forti apoplexiâ, conspicuus, qui profectò latens foret, aut ferè nullus, si à pulmone tragœdia duxisset exordium. At si Observatorum auctoritate certandum, ii nobis adsunt quibus refragari nefas; hanc enim, paucis exceptis, omnes ferè Autores, symptomatum accuratâ contemplatione edocti, amplexi sunt sententiam. In eandem antiquitùs jam iverat Cassius (b) ingeniosissimus, Celsò judice, sui sæculi Medicus, qui cerebrum à carbonum calore affici pronuntiat; quod an simplex effectuum observatio, an subtiliùs exculta anatome illi indicaverit, dubium est (c). In apertis saltem interemptorum ab hoc fumo cadaveribus summopere tensæ, siccaeque apparent meninges. Verùm quâcumque ratione cerebri functiones peragantur, sive mavis spirituum animalium hypothefin, sive nescio quæ alia Autorum figmenta in tantâ rerum obscuritate magis arrideant, certè à carbonum vapore actionem cerebri intermitteri probat hæc observatio; indèque vel à liquido stante, vel à torpentibus fibris, simul ac vapor carbonis ingruit, vita, ut ita dicam, feriari videtur. Alterutri autem causæ id tribuas perindè est; primæ tamen satis appositè, huc si revocemus *εἰς τὸν* illud Hippocratis, quod Opiatorum effectibus explicandis non improbabile Borrichius adducit (d). Porro vitæ illam intermissionem pro morte statim habere, piaculum esset; imò valido motu, cerebri nervorumque inertia discutienda est,

7
 unde stupendes meninges; cor languidum; pulmonesque fatifcentes re-
 surgant; in hunc liquidem scopum tota collineat curatio. Protracto ita-
 que in apertum cœlum ægro corpore, novus aer allabatur; tùm aspersâ
 frigidâ, contractæ ad habitum corporis venæ uberius sanguinem ad
 cor revehunt, motum ejus ex sanguinis penuriâ deficientem instaurant,
 quâ unâ ratione, in lacum Cryptæ memoratæ vicinum projecti, enecti penè
 canes, reviviscunt. Verùm facultatibus vitalibus gravius affectis consuli
 nequit, nisi animales exsuscitentur; tunc quæ nervos potentissimè stimu-
 lant necessariò adhibenda, qualia sunt sales volatiles, olea subtilissima,
 euphorbium naribus intrusum, quod Pareo (e) optimè successit. At nihil om-
 nino Emeticis præstantius est: horum enim actione non solum ventricu-
 lus subvertitur, sed etiam tota corporis compages à nervis irritatis ita
 quatitur, ut ab elatere solidorum redeunte liquida premantur, concrefcentia
 dissolvantur, stagnantia demùm motum concipiant. Sic Julianus Imperator
 se Parisiis carbonum vapore penè oppressum vomitione à Medicis imperatâ
 restitutum fuisse narrat in Misopogone.

(e) Pareus de
 renunciatio-
 nibus.

V.

QUÆ observatione constant, observatione accuratiori tantummodò
 refelluntur; hinc apoplexiam à carbonis fumo nunquam induci si
 probaveris observatione, victas illicò dabo manus; at quæ ex principiis
 Physices deducuntur, ut ut verisimilior eorum explicatio tradatur, dis-
 putationi tamen ita sunt obnoxia, ut in adversam partem detorqueri pos-
 sint. Ignis atque respirationis actione elaterem aeris destrui, destrui pa-
 riter à fumo carbonum ferè demonstratum fuit; at superest nobis am-
 pliùs firmandum, cùm Viri sanè docti in contraria prorsùs ierint. Aeri
 liquidem ingenitam esse vim elasticam, nec posse destrui asserunt,
 argumento sclopeti pneumatici in quo aerem quoad fieri potest com-
 pressum, per plures annos nihil omninò elateris sui deperdisse com-
 peritur, Robervallio & Mariotto summis Viris id referentibus. Verùm
 aeris elaterem compressione destruendum nunquam contenderimus. Sed
 plures sunt modi quibus aer demonstrari possit non elasticus. Ac 1°. qui-
 dem ipsa aeris *absorptio* aut exinanitio, dum laxiorem efficit aerem, non-
 ne ipsam minus reddit elasticum? (a) Ipsum appello Mariottum qui vi-
 dit ab inclusâ in tubo Toricelliano aeris massulâ Mercurium ad aliquos
 gradus deprimi, totum verò non detrudi, quia massula hæc brevi ex di-
 latatione debilior, jam toti atmosphæræ non ampliùs erat æquilibris; tan-
 tumdem ergò ex ipsius elatere decedebat. 2°. Idem de aere intrâ
 liquidorum solidorum-vè partes disjecto ac concluso demonstrare facile
 est. De liquidis quidem etiam aere saturis, quòd sint comprimi nescia,
 jampridem demonstravit Academia Cimentina; at idem de solidorum aere
 pariter dicendum esse patebit attendenti quanta aeris copia intrâ ipsorum
 substantiam includatur, quæ nisi elatere esset destituta, vim atmosphæræ
 quantum comprimitur tantum superaret. Certè si in calculo humano ela-
 sticus perstaret aer, solidas partes quibus coarctatur longè latèque disji-
 ceret: in spatium enim 648 vicibus naturali minùs redactus totidem
 atmosphærâ majorem in continentes partes exerceret actionem. Quâ ra-

(a) Mariot-
 te, Traité de
 la Nature &
 des proprié-
 tés de l'air.

(b) Privat
de Moliere,
LeçondePhy-
siqueTom. II.

(c) Boyle
exper. Phys.
Mech. Tom.
II. exp. VI.
(d) Derham
Theolog.
Physic de
l'Athmo-
sphere.

tione autem elater acri auferri possit vero propior explicatio forsàn ei videbitur qui statuatur particulas aeris seorsim sumptas non esse elasticas, ut forent in spiras contortæ, quod nonnulli sibi finxerunt, nec nisi ab omnibus simul quatenus aliæ aliis applicantur, aereæ massæ elaterem oriri. Sic minima vascula, capillaria vulgò dicta, aerem humoribus mixtum admittunt, impervia ejus congestis in bullas particulis. At si difficiles aliqui nòdi expediendi adhuc supersint, in allatâ explicatione ampliùs commorari nostri non est instituti, modò elatere reverà aliquando destitui comperitum sit; quamplurima inter alia, præsertim ex mercurii depressione, si tubus Toricellianus in *Recipientibus* per antliam alicujus-vè corporis deflagrationem aere exhaustis collocetur; undè mirari subit aliquos fuisse (b) nec infimæ notæ Physicos qui in aerem verti materias sulphureas contemderint, hoc argumento quod eductus è pisis aer per fermentationem; apud Halesium, flammæ conciperet: quasi ex hoc vegetabili quæ manant fermentationis ope sulphureæ partes extricatae ignescendo aptæ natæ satis non essent; atque aeris inflammati phænomenon illud non infrequens aliundè pendere posset quàm à particulis sulphureis, quibus tunc fœtus est, mutuò sese collidentibus. Porro hæc sulphuris in aerem conversione quam commenti sunt, massa aerea partium sulphurearum effluviis cresceret, densitas aeris eadem ratione augetur, & attolleretur mercurius in tubo Toricelliano. Præterea tandem non omittendum est à densitate aeris auctâ, animalia non periri, ut animalia ejus raritate perimuntur; quidquid hæc de re tentaverint Physicorum Principes Boyle, Stair, Derham; imò apud (c) Boyle & (d) Derham, eò diutiùs vivere observabantur animalia, quò aer evadebat densior. Quid referam exempla urinatorum in alto pelago demersorum aut miserorum qui nunquam Solis aspectu recreati in fodinis consenscunt. Ab aeris itaque ex carbonibus accensis elatere destructo, perindè atque ab eorum effluviis, his exitus, illi introitus si nullus detur, etiam sine calore intensiori noxam inferri jure meritò concludimus.

Ergò Carbonum vapor in clausis Cameris sedulò vitandus.

Proponēbat Parisiis JOSEPHUS-IGNATIUS GUILLLOTIN, santo, Doctor Medicus Rhemenſis, nec non Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1769, à sextâ ad meridiem,

Typis QUILLAU, Univerſit. & Facultatis Med. Typograph. 1769.